



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De affectu tristitia. Cap. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

formata est, & contra rationem in furorem versa est, & quasi insaniã: vt more phrenetici irrationabiliter moueatur homo contra hominem, contra amicum & proximum, contra seipsum: aliquando etiam contra sanctos & contra Deum, & contra insensibilia & irrationabilia, quæ nec malè nec bene faciunt, nisi sicut natura impellit ea. Etiam vbi cognoscimus nos iniuste moueri, non possumus quandoque impetum iracundiæ cohibere.

De affectu tristitiæ.

CAP. XV.

SIMILITER affectus tristitiæ datus est homini, vt doleat de peccatis suis & alienis: & vt mœstus sit de dilatione patriæ, & timeat inferni supplicia, doleat de imperfectione sua, & compatiatur alienæ afflictioni: vt per maturitatem vtilis luctus, excludat leuitatem vanæ lætitiæ, quæ est nutrix dissolutionis. Sed hæc bona & secundum Deum tristitia peruersa facta, mutata est in tristitiam seculi quæ mortem operatur, in desperationem, diffidentiam, & irrationabilem mœrorem. 2. cor. 7. 10.

De affectu gaudij.

CAP. XVI.

AFFECTVS gaudij datus est homini, vt gauderet in Deo & in spe æternorum bonorum, & in intuitu beneficiorum Dei, & congauderet proximo in bonis eius, & delectaretur in laude Dei, & in bonis operibus, & fastidiret omnia vana & inutilia & iucundaretur in operibus diuinis, & ex hoc efficeretur alacer & agilis ad seruitutem Dei. Sed modo peruersus est per dissolutionem & vanitatem, vt ho-

mo